ALTHEMENES
TRAGOEDIA.

SUB AUSPICIIS

Em̃i, ac Rm̃i Principis

NUNNII

S.R.E. CARDINALIS

A' CUNHA,

TOTIUS LUSITANIÆ, REGNORUMQUE IPSI SUBJECTORUM SUPREMI INQUISITORIS &c.

HABITA

A' COLLEGII ROM. SCOLASTICIS

In Aulâ Maximâ,

Cum eorum præſtantiſſimi publico præmio donarentur.

XIV. KAL. OCTOBRIS MDCCXXI.

ROMÆ,

Typis Georgii Plachi)(*Superiorum permiſſu.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

34. 5. F. 10

Digitized by Google

Em̃o, ac Rm̃o
PRINCIPI.

JOSEPH CARPANI SOC. JESU
Felicitatem.

AMPLISSIMA *tui Nominis Magnitudo Em̃e Princeps me à ſuſcepto conſilio, Tragœdiolam hanç Tibi offerendi, propemodùm abſterruerat. Menti Tu ipſe primò occurrebas; præclariſſimaque Animi tui decora, ità me in admirationem rapie-*

Digitized by Google

bant , ut metum ſimul incuterent. Objiciebantur trepidæ cogitationi, tua illa acris in intelligendo Perſpicacia, quâ abſtruſiora quæque , & ab humanâ cognitione longè latèque ſejuncta feliciter aſſequeris ; ſolers in rebus agendis Prudentia , æqui rectique Amor , à rerum humanarum vicibus nunquàm labefactata Conſtantia ; ſingularis Modeſtia , quâ tuas laudes indignans Laudatores tuos Saxum inter & Sacrum, ut ajunt, coarctas adeoùt Illis vel multum Veritati detrahendum ſit , vel multum Benevolentiæ tuæ amittendum ; Cæteræ demùm tui Dotes egregiæ, quæ ad Sacram Romanam Purpuram, & ad Totius Luſitaniæ , Regnorumque ipſi ſubjectorum Supremi Inquiſitoris graviſſimum, præſtantiſſimumque munus tibi iter complanarunt. Occurrebant ſubindè decora,

quæ

quæ ab Avis in te derivata, Virtutibus tuis novæ lucis acceſſionem adjungunt. Tua enimverò vetuſtiſſima Familia, cujus origo petenda eſt ab eâ Ætate, quâ Gutterius unà cum Comite Enrico, Portugalliæ Regnum à Turcarum tyrannide eripuit, præclariſſimis Heroibus locupletavit non ſolùm Caſtellæ, & Luſitaniæ Regna, in quorum primo à Martino Vaſquez, ejuſque germano fratre Lopez à Cunhâ ortum duxerunt Familiæ Ducum Aſcalonæ, Marchionum Viglienæ, Ducum Uſſonæ, & Comitum Buendia; in Altero à Vaſquez à Cunhâ Comites Povolìdi, & Pontiſveteris; Verùm etiam ſui Nominis gloriam, cui vix noſter hic Terrarum Orbis ſatis erat, in ultimos Naturæ deficientis limites extendit. Quis adeò Hiſtoriarum rudis, ut ignoret, quantum ſibi laudis comparaverit celeberrimus ille

NUN-

Nunnius a'Cunha *Indiarum Orientalium Pro-Rex; Vir plane Virtutibus omnibus ſivè ad belli adminiſtrationem, ſivè ad politicum Populorum regimen ſpectantibus munitiſſimus. Quid quod Roma ipſa Heroum fœcunda Parens admirata olìm fuit Triſtanum à Cunhâ, qui Sereniſſimi Emanuelis Luſitaniæ Regis ad Leonem X. P. M. Orator non tàm munerum inæſtimabili pretio, quàm morum ſuavitate, Virtutumque ſuarum rum præſtantiâ Sapientiſſimi Pontificis animum ſibi devinxit. Sed ut omnia paucis complectar in ipſo Luſitaniæ Regno, cæteroqui florentiſſimo, cui nunquàm literis, & bellicâ arte præſtantes Viri defuerunt, Familiam tuam ampliſſimi tùm civilis, tùm militaris Imperii gradus, à primâ illius origine uſque ad hæc tempora aſſiduè decorarunt. Omnia hæc*

in

in Cauſâ erant , ut formidarem nè muneris mei tenuitas , & quidquid in illo eſt operis & obſequii, Te coràm penitùs evaneſceret . Verùm ſingularis Humanitas tua , quâ frontis majeſtatem temperans , quæ ſincero ab animo proficiſcuntur dona quantumvis exigua non dedignaris , trepidanti mihi animos fecit . Confidentius quàm par erat , acceſſi , Tuque non ſolùm quam tibi obtuli poeticam Fabulam, quâ ſoles Humanitate complexus es ; ſed etiam effuſâ Liberalitate imperaſti , ut publicè ſpectantium oculis in Orcheſtrâ , eâ , quæ Principem decet magnificentiâ exhiberetur . Quæ cum ità ſint jure ac merito futurum ſpero , ut illam , atque adeò tuæmet ipſius Beneficentiæ munus , meæque tibi addictiſſimæ voluntatis obſequium tuearis .

Digitized by Google

MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS

Præpoſitus Generalis Societatis JESU.

CUM librum, cui titulus Althemenes Tragœdia &c. à Patre Joſeph Carpani Societatis noſtræ Sacerdote, conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut Typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet ità videbitur; cujus rei gratiâ, has literas manu noſtrâ ſubſcriptas, & Sigillo noſtro munitas dedimus.

Romæ 28. Auguſti 1721.

Michael Angelus Tamburinus.

Imprimatur, ſi videbitur

Rmo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Nuntius Baccari Epiſcopus Bojanen.
Viceſgerens.

Imprimatur.

Fr. Gregorius Selleri Ordinis Præd.
S. P. A. Magiſter.

LECTOR: *Quæ in hac Tragœdiâ fatalem neceſſitatem, Deorum multiplicitatem, ac ſuperſtitioſos Etnicorum ritus ſonant, tamquàm fabuloſè dicta, & Artis poeticæ ornamenta, velim accipias:*

THEATRI MUTATIONES.

Viridarium cum Tiberis, Romæque proſpectu.
Regium Cubiculum.
Pinacotheca.
Templum.
Ambulacrum.
Sylva cum maris proſpectu.
Atrium.
Aula Regia.

PERSONÆ.

APOLLO	Hieronymus Bortoluzzi.
ROMÆ GENIUS	Joſeph Gallicani,
MARS } TIBERIS }	Joſeph Togliati.
Muſicæ Moderator	CAROLUS CÆSARINI. &c.

Redu-

Reducto Sipario Palladiæ celebritati proludunt.

Apollo, Tiberis.

Apol. PLAUDANT Romulei Colles,
Feriat echo feſtiva Cæſarum urnas;
In undas prius quam molles
Mergat occidui Maris
Sol quadrigas diurnas;
Pubes palladia feret
Annui pręmia laboris.
Calcar addet Virtuti
HEROIS LUSITANI
Dextera ſueta Gangis
Aureas fundere arenas;
Clarum hunc duxit inclyta è Patria morem,
Ubi regales curas
Temperat Alcidæ Atlas non impàr;
Neve trahat impuras
Labes Religio, procùl arcet monſtra
Illæſa Cœli Sacra defendens jura:
Alia nec otia quærit,
Quam cum vertit in dona
Ampla Fortunæ bona.
O qui Minervæ arenam
Doctæ frontis ſudoribus rigatis,
Acuite ingenii vires,
In incepto vos curſu

A Nova

Nova reficit ſpes , & novi honoris
Ardor, quo jam flagratis
Statim reddit oblitos
Vos antiqui laboris.

Propè rivos undantes aquarum
Roſa rubet Veris filia,
Alba lilia
Regium explicant candorem.
Grata Spes, quæ cordi blanditur
Nimiâ curâ ſæpè languentem
Alit mentem ,
Ad virtutem accendit amorem.
Prope &c.

Aurora quid moraris
Pande fores eburnas ;
Plaudant Romulei Colles,
Feriat echo feſtiva Cæſarum urnas.
Tib. Quis inopinus noſtra excitat lumina
Lætus clangor tubarum;
Nec permittit algoſo in antro flumina
Longos trahere ſopores?
Ap. Neſcis te quantum maneat Tybris decus ;
Utque martia Juventus
Magni in obſequium Principis intenta,
Jam pridem deſuetam
Latiam revocet Scenam,
Et certet altam tangere honoris metam.
Tib. Mihi trepidat pectus
Impar tantæ letitiæ.
Pindi tu blandum Numen
Magnis ceptis aſpira,
Tuâque rege artem nutantem lyra.

Patrius

Patrius amor Filiorum honore
Anhelantem me jubet gaudere;
Noſtræ adumbrans ſed menti pericla
Cogit ſimul me timere.
Patrius &c.

Ap. Non alia è Cirhæ jugis
Me cura ad claras tuas impulit ripas.
Age: Paluſtri exue jam frontem ſerto,
Cinge floribus comam,
Tuamque præfer vultu hilarem Romam.

Tib. Opem feras propitio tuo Numine
Ap. Aſpirabo jucundo labori,
à 2. Tu me reddes { tuo amore / tua prole } felicem
Tib. Præſens erit ſi tuum Numen
Ap. Arti noſtræ.
Tib. Latio Nomini
à 2. Recens hodiè accedet lumen.

Opem &c.

Digitized by Google

Poſt Actum Primum.

Apollo.

IBO quo Sacer Poetarum Chorus
Sæpè canit alternis,
Et Arcadicum nemus
Tranſtulit in has Mavortias Sedes,
Ubi Muſarum Ædes,
Colunt quum lætæ Urbes, deſerunt montes;
Ibi legam Coronas
Prope limpidos fontes
(Namque hæc felicius nuſquam meſſis viret)
Legam decora egregia;
Sed inutiles frondes,
Quas dextra propè Regia
Fœcundat tamen, Hortum in Heſperidum
Vertens Nemus Pieridum.

Ubi laurus Sacra viret
Frontium decora requiret
Manus noſtra triumphalis.
Docto grata ſed labori
Addet pretium nitori
Manus altera regalis.

Ubi &c.

POST

Poſt Actum Secundum.

Apollo, & Romæ Genius.

Ap. FLecte certatim lauros in coronas,
Nec frontes pueriles
Dextra te pudeat decorare eàdem
Qua decoraſti olim frontes auguſtas:
Nam tenerâ in ætate,
Planta velut in flore,
Grande poſtea futurum decus vireſcit.
Gen. Addis quid fruſtra ſtimulos amori?

Gaudet ut Aquila
Fœtum implumen
Teneris oculis
Quærere Solem;
Sic ego ad honorem
Primos affectus
Gaudeo Romuleam
Vertere Prolem.
Gaudet &c.

Ap. Coronaveris primos
Poſtquam tuis in Alumnis
Ad honorem Conatus,
Iter breve ad præclara illis oſtendes
Magnanimo in Heroe
Purpurati Senatus.

Diſcent

Diſcent ab illo docti Sequaces
Palladiſ omnes carpere lauros
Quidquid fulget nobili luce
Uno in Duce,
Sparſos æquat ubique theſauros
Diſcent &c.

Poſt Actum Tertium.

Romæ Genius.

CÆSA decrevit Sylva,
Serta adæquant jam Comas;
Illud deficit unum
Præſidi quod noſtra offerat manus;
Sed melius hoc laudibus olim texent
Ad honoris faſtigia
Quæ promovet Ingenia:
Hæc lauro in omni Nemoris Aonii
Signabunt clari nominis veſtigia:
Quæque nobis ignotas
Moles fregit auguſtas
Cortici inſculptas notas
Sera timebit tangere Vetuſtas.
Anni qui labili
Pede prætervolant
Senſim in præceps
Marmora & Æra
Urgent fugaces.
Sed immotum ut Rupes in Undis
Clarum nomen, quod Vates attollunt
Fraudes Ævi non timet fallaces.
Anni &c.

Poſt Actum Quartum.

Apollo, Mars, & Romæ Genius.

Mars MAvortis ità nè ſpernitur Numen?
Urbs mea, cui dedi olim Imperj fines
Armis proferre uſque ad herculeas metas,
Lauris ornata crines
Plauſus inter tubarum, & voces lętas
Sine Marte triumphat?
Grande dedecus hoc armis ulciſcar.
Gen. Quis præceps te Gradive agitat furor?
Audi . . . .
Mars Sævum Enſem in Urbem rotabo
Gen. Pone iras. *Mars* Fulminabo:
Qui me ſpernit me ferat iratum.
Gen. Quæ nam cauſa tot excitat motus..
Mars Tuus error. *Gen.* Mihi ignotus
Carum Numen. *Mars* Sed telis armatum.
Sævum &c.
Gen. Eſt pompa, quæ paratur
Solum Minervæ Sacra,
Nec Bellator, ſed Sapiens coronatur.
Mars Me tubæ clangor bellicus decepit
In melius verſa mens en loco cedit
Cordi vetus tranquillitas jam redit:
Adero tamen; arcto nàm ſimul nexu
Junguntur inter ſe literæ & arma;
Adde quod Sacro Heroi
Mihi quoque plaudendum,
Cum ſit Stirpis illius alta Propago,
Quæ coegit rigere turpi metu

Toties

Toties Mauras Arenas,
Noſtras toties ad Aras
Fractas appendit barbaras catenas

Ap. Vos inutiles hic ducere moras
Turba vix ultra ignoſcit,
Plauſu & reſonans aula triumphalis
Citò adeſſe vos poſcit.
Vos præcedam.

Gen., *Mars.* 2. Veloces ſequemur:
à 3. O 'Sors læta, ò nos felices.

Apol. Properate:

à 3. Citò currite momenta
Noſtris Votis
Ingens decus feſtinate.
Vos &c.

Poſt Actum Quintum.

Diſtributis præmiis Bonarum Artium Cultoribus.

Apollo, Romæ Genius, & Mars.

à 3. ITE
Ite
Ad tryumphum
Ad palmas
Volate.

Mars. Jam ſpe fervida anhelantes
Apol. Novas lauros,
Gen. Novum honorem,
à 3. Triumphate.
Ite &c.

ARGU-

ARGUMENTUM.

ALthemenes Catrei Cretenſium Regis Filius ab Oraculo reſponſum acceperat, fato conſtitutum eſſe, ut ſuá manu Patrem occideret. Hoc vero nefas ut effugeret in exilium abiit, & in primariam Rhodiæ Ditionis Urbem Camirum trajecit, ubi in Atamyro Monte Jovi Templum ſundavit. At Pater ejus Catreus, cui nulla Soboles Maſcula ſupererat, amore eximio Althemenis impulſus, noctu cum aliquot ſuorum in Rhodum excendit; Inter quos & Inſulanos oborto conflictu, Althemenes ad opem Rhodiis ferendam excurrens haſtæ jactu ignarus, Patrem occidit. *Diod. Sicul. Biblioth. hiſt. lib. 5.*

Per fabulæ licentiam tria adjungimus. 1. Arctam amoris neceſſitudinem Althemenem inter, & Lindum Rhodi Regis Filium. 2. Novum Reſponſum Oraculi primo contrarium quantum ad externam ſpeciem; fore ſcilicet ut enſis paternus Althemeni Filio geminam mortem inferret. 3. Utrumque Reſponſum eventu comprobari: Nam in repentino conflictu Catreus interficit Lindum,

in quo Althemenes, magis, quam in ſeipſo vivebat; Althemenes verò interficit primò Catreum ſibi ignotum, deindè paterno enſe ſeipſum.

PERSONÆ.

CERCAPHUS Rhodi Rex
Marchio Sebaſtianus Corèa.
CATREUS Rex Cretæ
Eques Archangelus Mandoſi.
LINDUS Cercaphi Filius
Eques Hieronymus Olivieri.
ALTHEMENES Filius Catrei
Philippus Maria Salvatorj.
AUGUR
Caſimirus Franciſcus Pioli.
DUX Militum Rhodiorum
Marchio Ferdinandus Santi.
DUX Militum Cretenſium
Alexander Caſimirus Pioli.
NUNTIUS
Jacobus Bellotti.
EPHÆBUS
Marchio Cataldus Aſtalli.

Scena Camiri.

ALTHE-

ALTHEMENES
TRAGOEDIA.
ACTUS PRIMUS
SCENA PRIMA.
Althemenes, Lindus.

Meminit Althemenes Oraculi, ſuumque infortunium conqueritur; Illi ſolatium aliquod afferre ſatagit Lindus.

Alth. SEPTENNE quamvis exilium, & iras ſeram
Longas Deorum, cretico è Regno procùl,
Vel ſortis inter odia ſatis eſſem tuo
Felix amore; At eſſe felicem vetat
Qui ſedit animo cædis horrendæ timor:
Attonitæ adhùc menti inſonat Summi Jovis
Crudele monitum, olim quod excepi Puer,
Cum me Tonantis duxit ad cunas Parens

Sylvamque Numini Sacram: auditos ſonos!
Meminiſſe nollem; ò ſævè Reſponſi tenor!
„ Aptum Bellando poſtquam te firmior ætas
„ Reddiderit, ſæva Genitoris cæde cruentus
„ OEdipodem referes, referent tua litora Thebas.
Lind. In te futuram provocas cladem, nocet
Impar licèt nocendo, quod metuis malum;
Depone curam præcocem: Dònec licet
Fruare lætis rebus; adverſi dies
Rotantur æquè; non pavor, trepidæ aut preces
Nec lacrymæ, aut ira poterunt obſiſtere
Syderibns æthræ ſpatia circum agitantibus
Rerum vices immobiles. Noſtro dedit
Imperio id unum, Juppiter; nos metus. Fluunt
Reliqua Supremus quo Arbiter nutu movet;
Sic puppim in undis Nauta, non undas regit;
Parce ergo metui. *Al.* Quid magis timeam? *Li.* Nihil
Forti timendum quod caret culpà. *Al.* Poteſt
Carere culpâ Patris effuſus cruor?
Lin. Poteſt; cruentam ſi manum in diram necem
Non mens, ſed error adigat. *Al.* Aſt Recti tenax
Animus vel umbram criminis crimen putat:
Umbra tamen abſit culpæ, adhùc digna eſt metu
Infanda cædes, laude nec diri vacat
Formido caſus. Hùc Deorum è Sedibus
Delapſa Virtus, exul, humanos ſibi
Mores adoptat; metuit, iratur, dolet,
Motus nec illam dedecent, queis imperat.
Lin. Flectere aliò fatum an potes? fruſtra timet
Habens nihil quod ſperet. *Al.* Ergò nil ſpei?
Supereſſe credis? Socii ita nè curam levas?
Proh Cœlites in me omne pœnarum genus
Congerite, laceri Ixionis ſævam Rotam,

Immane pondus Siſiphi, Phrigii Senis
Menſam fugacem, Vulturis lentam famem,
Quam paſcit uſque pectus in pœnam ferax,
Eumenides, angues, verbera: At dirum nefas
Prohibete, cupidis id precibus unum rogo;
Quod ſi roganti obſiſtitis, faciles Deos
Jam nemo ſperet. Quid peti ſuperum poteſt
Pietate dignius? Mihi votum unicum eſt
Non abripi hanc dextram inſciam in patriam necem;
Ne cæde maculer conſcius, Cœlum pudet
Rogare. *Lin.* Forſan Juppiter ſuetus loqui
Arcana Hominibus, ut decet Numen, Sacrâ
Caligine & rerum exitus obnubere
Avidàm futuri, quâ ſolet mentem ſagax
Fefellit arte *Al.* Clarius nunquam reor
Jovem locutum. *Lin.* non ſemel vocum color
Splendorque fallax intùs ambages tegit
Alth. OEdipodis, exemplum meos firmat metus:
Sors inſuper nos decipit raró minax;
Sed blanda ſæpè; nec parem ſervant fidem
Spes & timor. *Lin.* Summi ſit infauſta, ut putas,
Vox Numinis, fati manebat te rigor
Sub axe patrio; àt exul hic tuto in Rhodi
Litore, ubi communis amor excubias agit;
Interjacente haud poteris ereptum mari
Læſiſſe Patrem. *Alth.* Quâ minus reris viâ
Adverſa ſubeunt; invium eſt Fato nihil:
Ubi miſer ſe protegat ſolas habet
Latebras Sepulchri. *Lin.* Non tamen cedit malis
Obſeſſa virtus; quìn ſuum tunc explicat
Decus illa; pulchrius nihil Cœlo exhibet
Ignava Tellus, fronte quam ſtantem Virum
Impavidâ in ictus, quos furens arcu vibrat

Fortuna. *Al.* Cauſa hæc me impulit patrios lares
Deſerere, centumque urbibus Regnum potens;
Quin conjugales jam propè accenſas faces
Mœſtamque Sponſam, noſtra cui ſteterat diù
Anceps in undis pinus. Ut telis petar
Trans Mare ab avitâ Regià, & Patria procùl
A ſorte quærar, obvium nec ſim caput
Facilisque præda.

SCENA SECUNDA.

Cercaphus, Althemenes, Lindus.

Suadet Cercaphus Althemeni Hoſpiti ſuo, ut Jovis Oraculum iterùm conſulat.

Cer. GRatulor, quod vos amor
Nexu tenaci jungat, & quoties mihi
Occurrit alter liceat ambobus frui:
Par fœdus utinam vinciat Cretæ Rhodum
Quaſque mare removet Inſulas nectat fides.
Alth. Nunquam erit ut armis creticis circumſonent
Amica litora, Pelagi aut Rector minax
Cernat per undas ferre dictæas Rates
Belli cruentos turbines: teſtes voco
Rhodios Penates, quorum ope indigeo; Labor
Utrique Regno æqualis obſequiis erit
Certare; Claſſe quiſquis alterutrum petet
Laceſſet ambo; has Poſteris Sacras dabo
Firmaſque leges, nulla quas Ætas queat
Delere, nullus frangere armorum furor.
Averte tu dirum omen o Divum Sator,
Promiſſa ut exequar, rependamque Hoſpiti

Quæ

Quæ debeo munera. *Cer.* Deos qui ſic rogat
Cogit rogando. *Lin.* Erige animum; Timide petens
Divis honeſta, & quæ decet ſuperos dare
Timore lædit, quos colit votis. *Al.* Jubent
Ipſi metuere dum entheo raptos gradu
Sparſoque Vates crine, nec memores ſui
Ceciniſſe cogunt luctuoſa Oracula.
Cer. Intùs ſua cuique ſonat interpres Deum
Vox melior; hanc ſequere Ducem; Si te arguit
Tunc jure timeas; ſin minus, gaude. *Al.* Metum
Quis legibus temperet? *Lin.* Opem præbe magis
Si qua tibi Genitor Hoſpitis pietas ineſt.
Cer. Quoniam hæc recurſans cura vi ſecum trahit
Mentem impotem ſui, nec ævo fit minor;
Juſſu Tonantis quod recens ſurgit tuo
Altis propinqui montis impoſitum jugis
Succede Templo; Victimis Aræ fluant,
Ferale & omen expiet largus cruor;
Per Sacra poſtquam flexeris Cœli minas
Reſponſa quære. *Al.* Quid iterum cladem juvat
Noviſſe: *Cer.* Nec ſemel tibi notam reor;
Specie ſub immiti obtegi ſævum nihil,
Nihil timendum ſat tui mores probant:
Quem ſcelera telis inſtruunt reddit Jovem
Virtus inermem. *Alth.* Exercet adverſis tamen
Nos ſæpe Numen. *Cer.* Inſcios flecti novos
Tunc præbet animos; alacris hinc ardor ſpei
Metuenda ſubigit antèquam bellum ferant.
Alth. Non robur iſtud, non ego hos animos velim.
Dii quæſo mergar nunc acerbo funere
Cogatque noſtrum pectus inopino gelu
Nondum ruentis fulminis murmur ſinum
Nubis pererrans. *Lin.* Sic meam poſcis necem
Ignare

Ignare quam arcti fœderis vinclum tuis
Mea fata jungat? Dum tibi mortem cupis
Mihi imperas; noſtros ſimul cineres premet
Communis Urna. *Al.* Nunc mali Summum attigi
Læthum timere cogor; Infelix habet
Id unicè quo gaudeat. *Cer.* Veſtris dabit
Finem querelis Juppiter, Cœli Incolas
Si noſtra tangunt, ſi quid apud illos meret
Humana pietas. *Al.* Mens Diis eadem manet
Adamante firmior. *Cer.* Colores induit
Ut Corporum quæ permeat Solis jubar,
Inque nive candicat; tyrio in Oſtro rubet,
Flavetque in auro, diſparem formam exhibens
Sit licet idem; præſtantior ſic lux Deum
Affuſa menti detegit late omnia
Mortaliumque eventuum ordinibus ſuis
Simulacra pingit, temporum diſcriminans
Spatiis, ſuiſque dividens aptè locis
Immota quamvis: Ergo opere non irrito
Scrutare quis rerum ordo volvatur tibi
Poſtquam incolis noſtram Rhodum, poſtquam in
Toties vocaſti Numina; ipſorum & Patri (preçes
Stat celſa moles inſerens aſtris caput
Tuumque nomen; perge quo te ſpes vocat
Lin. Præcurram, honorem aris ut indicat Sacrum,
Monebo Templi Præſidem; poſtquam omnia
Compoſita fuerint, hùc citos referam gradus
Cer. Spem foveat animus; abeat è vultu dolor;
Emerget umbras inter inopinus dies;
Tibi noſtra in Aulâ longius ductas moras
Meminiſſe proderit. *Al.* Rhodus nunquam excidet
Quæcumque me ſors maneat. Oh ceptis Dii
Adeſte; fuit undè ulcus erumpat ſalus.

FINIS ACTUS PRIMI.

ACTUS SECUNDUS

SCENA PRIMA.

Cercaphus, Althemenes, Lindus, Ephæbus.

Perrecturos Althemenem, & Lindum ad Jovis Templum; inopinus Cretenſis Nuntii adventus moratur.

Lin. JAM thure redolent Templa, jamque ornant fores
Purpurea Serta, victimæ cæſæ cadunt...
Eph. Nuntius ab oris creticis miſſus, tuos
Subire vultus optat, & tecum alloqui.
Al. Quid audio! *Lin.* Quæ cauſa veniendi! *Eph.* Libet
Si ſcire; pronum eſt: Miſſus audiri cupit.
Cer. Accerſe. *Al.* Pectus mihi novo trepidat metu:
Per quidquid eſt Sacrum Ætheri, reditus meos
Nulli annuas quicumque poſcat; nec mihi
Me redde, ſi rogem. *Cer.* Tibi obſtrictam fidem
Servabo promiſſi memor. Sceptrum gerens
Fruſtra imperat recta; niſi recto obtemperet.

Digitized by Google

SCENA SECUNDA.

Cercaphus, Althemenes, Lindus, Nuntius.

Nuntius è vicinà Cretenſium Claſſe, Rhodum clam miſſus, fruſtrà omni adhibità arte, Althemeni reditum ſuadere conatur.

Nun. NON hic vetuſtas excitem ut belli faces
Et fando in arma provocem reſides manus
Orator adſum: Nàm tuus jam dudum amor
Subegit odia. Tu inclytum Cretæ decus
Noſtrique Regni columen armorum mora es
Reddens vel hoſti amabiles, quas incolis
Telluris oras, te fuiſſe hic Hoſpitem
Subibit animo quamdiù, noſtris cadent
Tela manibus: Rex ipſe. quem poſſet metu
Repetere centum navibus ſternens mare,
Poſt tot repulſas ſupplici rursùs prece
Te poſcit: urget cauſa poſcendi recens;
Sed hanc ſilere mallet arcanus dolor.
Alth. Loquere; malorum contigit quidquid leve eſt:
Graviora timeo. *Nun.* Clauſit extremum diem
Inferior ævo Frater; àt quem non minor
Virtus tibi parem fecerat; vultus Ducum
Nubes doloris aſperat, circumſonat
Ferale in Urbe murmur, incerto gradu
Per atria ruens Genitor, amplexus petit,
Atque ora Nati, quemque ſublatum gemit
Coràm eſſe credit ſæpiùs; queritur, furit
Nec ulla dubios temperat fluctus quies,
Niſi quandò jactatam illius mentem ſubis:
Ad me redi tunc clamat, aſſiduos tuo
Solare fletus vultu: àn Aſtrorum ſtudes

Vi-

 182

Vitare leges? Poſſe nec Superis datur:
Quæ refugis, imples fata, mihi cauſa eſt necis
Tuus ipſe timor abeſſe te cogens. Meo
Supereſſe amori quid juvat prolem alteram;
Utrâque careo: Hos inter affectus jubens
Me vela raptim hùc ſolvere, ſuum enſem dedit,
Hæc proferens: Ni filium, gladium refer,
Aut afferat vitam alter, aut alter necem..

Alth. Heù me ſuetas enſis agnoſco notas
Capulo refulgens aſperum ſignis ebur.

Nun. Quid plura: Zephyrus ſternit æquoreas vias,
Age dum.. *Al.* Ego nè ut revertar? Ut dirum ſcelus
Fatale properem? Reſilient Amnes priùs
Montana juga, demerget occiduum mare
Pigrum Booten. *Cer.* Sortis averſæ dolos
Furoris eſt laceſſere, intrepidè pati
Virtutis. *Lin.* Inſanam offerens frontem malis
Perdit quod unum permanet Miſeris bonum
Poſſe queri; in illum acerbius ſævit pudor,
Quam cauſa flendi. *Nun.* Ni feras quæſitam opem,
Occumbet infelix Genitor. *Al.* At non meo
Occumbet enſe. *Nun.* Criminis reus eſt jubens;
Mortem imperas, quam potis es inhibere, & negas.

Alth. Sævire dictis deſine. Elyſium nemus
O qui recenter incolis, fratrem tibi
Adjunge comitem, fluctibus meque eripe,
Queis rapior hâc illàc, amico affulgeat
Quin Sydus aſpectu. *Nun.* Te id unum efflagitat
Puerilis umbra, ut illicò cupidum tui
Patrem reviſas, quodque in illius ſinu
Vulnus reliquit, lenias: Proceres petunt
Te ſimul, & avidi Milites; Centum Urbium
Commune votum es; Quid quòd indignans moras,

Viduoſque thalamos Sponſa, flaventes comas
Inculta, vultu decolor, longas trahit
Pertæſa noctes, vixque candeſcit dies
Quæcumque turgere eminus vela aſpicit,
Putat eſſe tua; te pluriès... *Al.* Non dum ſiles?
Quid vulnera retentas: Tuæ eſt fraudis labor
Hic fletus indecens: Recede hinc Patriam
Vivit ubi Sponſa, ubi Genitor, vixiſſem ubi
Utriuſque amans; At ſæviat ut in me magis
Sævire in alios me jubet Fati rigor.
Nun. Qui Regni habenas flectis, intactæ colis,
Et jura Themidis, redde, nàm Pater es Patri
Prolem unicam.. *Cer.* Redire ſi cupiat, poteſt:
Si renuat, adigamnè renuentem? Vèl Scytham
Rapto ſuetum, & ubique Cymbros advenas
Immanitas hæc dedecet; quamvis fidem
Nullam dediſſem antè; attamèn communia
Me jura tangerent, ſuique Animus memor.
Nun. Redibo Cretam Nuntius patriæ necis.
Alth. Utinam redires noſtræ. *Nu.* -- Inermi quem negat,
Citò tradet armatis, Rhodo hac nocte ingruet
Furtiva Claſſis.-- *Al.* Sèd cave, pœnas dabis,
Ni in melius animi conſilia referat Parens:
Exere loquendi artem, metum vincat metus,
Amorem Amor: Namque ſibi ſi fata inferat
Mihi inferet, ſi vivat, hìnc reducem brevi
Me forsàn acquiret. *Nun.* Libens juſſa exequar.
Alth. Diſcede. *Lin.* Qæſitum Jovis Sortes ſacras
Pergamus unà. *Cer.* Adhæreat lateri comes
Fortuna melior; publica aliorsùm vocat
Me cura. *Al.* Trepido ſubſilit motu ſinus
Quid augurer? *Lin.* Vitæ hujus objecti malis
Procliviores in metum, quàm in ſpem ſumus.

SCE-

SCENA TERTIA.

Althemenes, Lindus, Augur.

Priùs Sacrificia barbaro Ritu peraguntur; poſtmodùm Augur conſulitur ab Althemene, eique aſtro divino correptus ſuboſcurè imminentia infortunia prænunciat.

Al. FAtidicè Vates reſerat arcanas fores,
Cui Juppiter; mentemque ſpatiari ſinit
Per invios rerum ambitus, cæcum Chaos
Quas implicat adhùc, luce vitali dies
Nec dùm colorat, jam doce incertas vias,
Quiſve mihi fatorum ordo. *Aug.* Mortalem licèt
Excutere nubem coner, & amicum ſinu
Concipere Numen, hactenùs fruſtrà eſt labor.
Sævum aliquid inſtat, quod loqui Cœlum pudet.
Sanguinea nigris mixta oberravit notis
Bis, ter favilla, ſe extulit geminum in rogum
Diviſus ignis, cumque ſufficerent focis
Alimenta Sacris, ſe illicò ſolvit biceps
Leves in auras flamma, geminam victimam
Livere vidi tabidâ aſperſam lue
Horreſco referens. *Lin.* Retege quid portenderint
Terrifica Signa: *Al.* Non is ego ſum, quem timor
Obruere poſſit: dira Sors longo innocens
Uſu nocendi fit; diùque miſer caret
Senſu malorum. *Aug.* Mihi neget conſortia
Sueta quamvis Numen, & menti incubet
Terrena nubes; Inter has umbras tamèn
Ambigua lux intermicat, opaco indicans,

Velut

Velut in receſſu nubium menti invio
Neſcio quid atrum flebile, horrificum, inſolens.
Quæ damna lateant, quam cito properent gradu,
Da noſse Divum Genitor, aut vittas ſacras
Accipe, & in alium transfer auguſtum decus.
Sed audior. Quis impetus mihi me rapit?
Quæ major oritur lux? Ubi ſum! Quò feror!
Vel undè? *Lin.* Deus illabitur, venas ſacer
Illaqueat horror. *Al.* Summe Rex feſſis precor
Succurre rebus: *Aug.* Heù quot Urnæ ſe evehunt,
Clarique cineres, fletui crebrò aſſonant
Peregrina Litora: En ſocia Regna occulit
Funerea nubes. Admove cymbam Charon,
Quid aure ſurdâ tranſuehis Vulgus leve,
Manes vocant te regii: Gladios ſuper,
Clypeoſque, & haſtas aridum ſtravit latus
Mors cincta inane fronde belligerâ caput;
Poſtquàm ampla gemino ſpolia de Regno tulit
Fruitur triumphis. Perculit quinam ſonus
Repetitus aures? fumidus Liparæ ſpecu
Reciprocat ictus Mulciber ferro incubans
Nudis lacertis, malleo reſonant gravi
Scythicæ catenæ. Inſula Deum Nutrix tuis
Viduata Regibus pede invito trahis
Servile pondus, nec Jovem puerum tibi
Servaſſe prodeſt. Tuque fatorum comes
Litore jacens adverſo, iniquum cur Rhodus
Non excutis jugum? Quæ iners oblivio
Te cepit armorum? Ah ruat Pelagum occupans
Votiva Moles Phœbo, & inimicas rates
Premat ruinâ: Nemini àt Fatum licet
Pugnare contrà, cui Tonans dum Orbi imperat,
Paret jubendo.... *Lin.* Plura nè poſſit loqui

Furor

Furor impedit. Al. Certum eſt mali quicquid ſilet,
Ut omnia timeam. *Aug.* Vocat quo me novus
Rerum ordo? Panditur Domus Cœli ſupra
Convexa mille porticibus adamantinis
In ſe recurrens, intùs æterno ruunt
Agitata curſu Fata, non eadem omnibus
Species, nec idem cultus: Inceſſu pari
En bina ſubeunt, quæ ſimul ſociis jugat
Vinclis Amor, præcingit ambobus nigra
Frontem cupreſſus, Regii vultus decor
Squalore premitur, floridaſque notat genas
Lethea tabes: Inſtat à tergo comes,
Se ſeque Turba urget, Odium Fraudes, Doli,
Sua vincla mordens Servitus, titubans Metus
Ipſe ſibi telum Furor, & exeſis Fames
Mutilata membris, ore demiſſo Pudor.
Seriem malorum Juppiter nubi inſidens
Metitur oculis tacitus; àt lux flexibus
Sinuata variis cærulo nubis ſinu
Hæc Scripta præfert fulgetris Oracula:
„ Antè rubeſcentes quàm Lucifer explicet ignes,
„ Abripiet gemino gladius tibi funere Vitam
„ Patrius, & geminas ſpoliabit Regibus oras.

SCE-

SCENA QUARTA.

Althemenes, Lindus.

Se ſe inter colloquuntur Oraculi Verba variè interpretantes.

Al. OBſtupeo, membra gelidus invaſit tremor;
Quæ ſæva Erynnis ſolvet inferno è ſpecu
Tot monſtra, facibuſque acuet in Regna Incolis
Dilecta Superis quondam? An Umbrarum Arbiter
Imis reulſos Sedibus Stygios lares
Laxabit in Fratrem? An iterùm volvet Chaos.
Turbata rerum jura? Quid fruſtrà aſſero
Cauſas inanes, cladibus tot par meum eſt
Fatale crimen, quod ſatis toto nequit
Phlegetonte plecti. *Lin.* Metuis alienam necem
Tuæ immemor, tibi geminam cædem fore
Paterno ab enſe, cecinit Interpres Jovis:
Siluiſſet utinàm. *Al.* Nè metus pavidum diù
Torqueret animum cauta conſultus dedit
Reſponſa Vates: Brevius eſt quidquid mali
Inopinum adeſt. *Li.* Mala invenit quem fraus locum
Cum tota fervet mens Deo! *Al.* His uti artibus
Pietas ſolet; ſed prodit innocuum dolum
Dum ſedula nimium Ars tegit: Vox inſuper,
Quæ prima nobis perculit mentem rudem
Dat nuper auditos ſonos facile ut queam
Evolvere implexos licet. Mortis mihi
Ergò author erit, & ſibi Parens, cauſam meo
Quippè dabit errori, gemina ſecum trahet
Qui funera: Etènim poſt nefas certum eſt mori:

Quam-

 185

Quamque inferam ipſi, quàque Genitorem ſequar
Mors utraque mea eſt. *Li.* Sæpè quià nimium ſagax
Eſſe cupit, aliaque celer ex aliis movet,
Mens deſipit Hominum. Una tibi ratio metus
Timuiſſe. Quæcumque ſuperi moneant, levis
Detorquet aliò ſuſpicio, rebus ſuas
Appingit umbras, alia nec mendax videt
Quàm quæ putat vidiſſe. *Al.* Superoſnè arbitrer
Pugnantia loqui; ipſum Jovem! *Lin.* Divis patet
Sine nube veritas. Sed alter te exulem
Rerum ordo ſpectat, alter in avitâ domo
Uterque crudelis mihi, quoquò cadant
Ambigua fata moriar, hac Animâ tuo
Litabo cineri, nos Erebus umbras pares
Excipiet: extrà Solis obliquas vias
Pallentia nemora inter infelix amor
Latebit. *Al.* Ecquid mihi ſpei reliquum? tua
Sævire didicit vel fides! Noſtri diù
Vive memor, adde nè novum ſceleri ſcelus;
Satis nocentem me arguet patrius cruor.
Te per ego jura mutuæ fidei, per hanc,
Quam teneo dexteram rogo: Triplices Deæ
Mea Stamina adnectant tuis, peragant tibi
Utrumq; penſum. *Li.* An invides laudem.... *Al.* Novis
Sævire telis deſine, & mecum ocius
Comites in Aulam Regiam greſſus refer.
Lin. Salus vel una utrumque vel lethum manet.

Finis Actus Secundi.

ACTUS TERTIUS


SCENA PRIMA.

Cercaphus, Augur.

Augur Regem imminentis infortunii admonet, ſed inter loquendum æſtro deſerveſcente. juſſu Regio ad Templum deliniendi ergò novis Victimis Deorum iras redit.

Aug. LUX craſtina reteget tui cladem Imperj,
Et Regium excisum genus. Jam nox ruit
Fatifera, triſtis, nube fulmineâ gravis,
Hanc Phœbe procùl arce, Sororique Ætheris
Nè trade jura; tibi ſacrum immoto die
Tuere litus; Cretica oh numquàm Rhodum
Tetigiſſet abies tranſvehens celſum Advenam
Ominaque dira. *Cer.* Latiùs totam explica
Seriem malorum, quodque me telum fodit
Inte-

Interiùs urge; Unde irruet Cœli furor?
Quæ cauſa? Quærenda eſt ubi Regno ſalus?
Aug. Deſtituit inſuetum jubar mentem, fugit
Lux ſacra, in antiquas futurorum immemor
Relabor umbras, jamque iners animum gravat
Caligo Corporis. Dii meliora Rex
Dent tibi. *Cer.* Parens ò Numinum labes meo
Si qua generi inſedit, latens ſi quod nefas
Sanguine piandum, mille pœnarum modis
Devoveo caput hoc; Syderum me unum petat
Indocilis ira flecti. Ad aras illicò
Regredere, ſævum munus effusâ prece,
Cæsâque poſce Victimâ. Hæc pietas decet
Deos vel iratos, *Aug.* Adyta repetam Sacra
Hæc inter eſſe te velim invictum malis.
Adverſa ſi deſint nihil Virtus habet
Quo ſe evehat, Fatoque majorem probet.
Cer. Hominum O vices, O nulla perituris fides
Habenda rebus. Celſior Regum nitet
Fortuna, graviore ut ruat lapſu, Rhodi
Saltèm liceret finibus dirum Hoſpitem,
Cauſamque cladis ejicere; prohibet fides,
Sed pacta, tacituſque pudor. A lacrymis petam
Quod juſſa nequeunt, prompta ſe ſe occaſio
En præbet ultrò.



SCENA SECUNDA.

Cercaphus, Althemenes, Lindus.

Exorat Rex Althemenem, ut fugam è Regno properet; Fruſtrà Lindus conatur Utrumque à ſuſcepto Conſilio; Alterum dimittendi Hoſpitem, Alterum abeundi, ſuaſionibus, & lacrymis abſterrere.

Cer. O' Digne, cui ſors blandior
Aſpiret, & læta offerat frontem, meo
Si tangeris fletu; quid unquàm ſi benè
De te merere licuit, hoc celeri fugâ
Diſcede Regno, in nos nèc iram Numinum
Ultrà laceſſe, jam flagrat velox ſatis
Propinqua Nox hæc, quâ incipit pallens dies
Urgeri in Occaſum, ultimam forsàn Rhodo
Feret ruinam; Sic monuit Augur. Tuo
Involvimur fato, utque flammas admovet
Venator antro impervio, quo ſe fera
Recepit agitata celeri curſu; hoſpitam
Non aliter Inſulam, ubi latens quæris tuám
Decipere ſortem, ſortis iratæ furor
(Prohibetę Superi) evertet indignans ſequi
Prædam fugacem. *Lin.* Te nè præclarum decus
Abjicere, laudemque, tibi quam dudùm attulit
Exceptus Hoſpes? *Al.* Fronte quâ Virtus ſolet,
Ibo obviam fatis; timoris jam pudet,
Quem Numen averſum improbat; mihi crimen eſt
Timuiſſe crimen. *Lin.* Frange ſævos impetus,
Quidve caput objectas malis; Tuque òh tuum
Defende munus Genitor, id ſupplex rogo.

Numi-

Numinibus æquat propemodùm Reges, opem
Afferre Miſeris, deſit hæc ſi laus, deeſt
Pretium omne Regnis. *Cer.* Quamdiù licuit tuli;
Generoſa cepta proſequi nunc Dii vetant.
Lin. Auguria ſcilicèt docebas quæ parùm
Timenda, metuis. *Al.* Quiſque ſibi gravius timet,
Solatia & pronum eſt magis ferre Alteri,
Quàm capere. *Cer.* Noſtro tu ingeris cordi metus.
Neſcis adhùc Prolis amor in patrium ſinum
Quid juris habeat; auſpice Jove utinàm ſcias,
Mihique in Aulà parvulus ludat Nepos.
Lin. Sobolis amorem vel Tigres docuit Parens
Natura: ſegregat feris noſtrum genus
Commune fœdus; nilque nos Homines decet
Pietate degener. *Cer.* Feram ergò te mihi
Rapi cruenta cæde? Populorum feram
Excidia tacitus? Poſt datam Althemeni fidem,
Cur non rogare liceat, ut rumpens moras
Nil profuturas, auferat ſecum omina
Cladis propinquæ? *Li.* Imperia ſunt Regum preces;
Quid fucum inani voce ſævitiæ facis;
Exilia cumulas Exuli, & graviùs nocens
Poſt dona, cepit ſpontè quàm è Patrià fugam,
Meritumque laudis vertis in pœnam: *Al.* Modum
Jam pone queſtibus, eadem mihi mens erit,
Licèt aliam Rex induat. Quò me trahit
Fortuna, ſequar; ut crimini occurram, fretum
Vagabor omne. Invitus in dirum ſcelus
Sceleribus urgeor, niſi noceam Patri
Nociturus Omni: Pròh novum ærumnæ genus
In damna cogor, eſſe me ſævum jubet
Vel ipſa Pietas. *Lin.* I celer ſinè me; meum
Sed tibi cadaver nè ſit ad puppim gradus

Vis

Vis nulla faciet . Gelida mors animam hanc ubi
Reſolverit nexu , Umbra comes adero, ratem
Tua per pericla flectam , & incertis iter
Signabo Nautis . Noſter haùd alias ſciet
Exigere amor pœnas . *Al.* Mihi tu nè exprobras
Quæ patior? An meæ eſt opis tecum hic dies
Duxiſſe lætos? Pellor, exitiale onus
Ferre nequit hæc fauſta Regio, noſtris foret
Si ignota Ratibus . Vulnere heù quali premor,
Quamque altiùs animi intimos ſenſus fodit
Deſerere metuentem Rhodum: Reddor Patri,
Tibi auferor in utrumque ſævus : Quò vehor,
Et undè utrique limiti excidium paro.
Cer. Quæ cura tantos nunc recens motus ciet
Manſueſcet ævo : Perge, lintea da Notis
Rediture forsàn, Æmulum Alcidæ labor
Te fecerit poſtquàm, additum & famæ decus
Ferendo: procùl ab Arbitris paucis volo
Te Nate. *Lin.* Liceat ſed ſtatim Socii ultimos
Redire ad amplexus. *Cer.* Propè nihil erit moræ
In me tibi. *Lin.* Meæ interim Althemenes neci
Annuere, vel votis ſtatue . *Al.* Superum Parens
Reclude cæcos inter anfractus viam.

Finis Actus Tertii.

ACTUS

ACTUS QUARTUS

SCENA PRIMA.

Althemenes.

Suum Infortunium, & Fati violentiam queritur, cui tribuit ſe jam vela facere paratum, ſubortà procellà in portu, detineri.

Alth. QUID profuit Regnum Patrem & patrios lares
Deſerere longo errore; in hos fata intuli
Dictæa fines. Exul exiliis agor,
Et certa profugum pœna manet. Arcum ut fugax
Sæpe fera fugiendo ſubit, fertque obviàm
Se vulneri præceps timor; ſic neſcia
Mens Hominum eodem tramite averſæ ruit
In tela fortis, quo ſibi effugium cupit.
Hæc ipſa lentus, quam traho in portu mora,
Donèc minacis ira detumeat maris
Fatis iter ſternit; meam nondum in ratem
Impellitur ventis Parens, Portu ancoras
Tùnc legere dabitur: At Sodalis jam redit
Indutus arma.

SCE-

SCENA SECUNDA,

Althemenes, Lindus.

Admonet Lindus Amicum ſedatæ tempeſtatis, eidemque ſe itineris comitem offert, quod cum lacrymis impetrare nequeat; eò animum advertit, ut illum innocuo artificio jam anteà inſtructo, decipiat.

Lin. COncidit Pelagi furor,
Favet unda Nautis. *Alth.* Poſcit inſuetus quid hic
Pugnantis habitus? *Lin.* Bellum amor amori parat.
Al. Cùr ergò Martis pondus horriſonum gravat
Membra tibi, galeâque æneâ frontem aſperas?
Lin. Iniqua me etiam ſors capeſſere iter jubet
Incertum iter. *Al.* Quò te feres? *Lin.* Quò nos vehent
Fortnna, Pelagus, Numina. *Al.* An mecum Rhodo
Abire tentas? Rex negat, prohibet Parens.
Lin. Amor ímperat, non ſi Africus nimbis frequens
Totam revolvat è vadis imis Thetim:
Nec ſi coacta vis ſimul vaſti Ætheris
Pontique, & Erebi obſiſtat omnis, me queat
Movere ab incepto. Timentur quot mala,
Vigiles labores, bella, terrificas minas,
Diraſque peſtes Lybiæ, hyperboreas nives;
Æſtus propinqui Solis, Eumenidum faces
Audax laceſſam. Ferre nil tecum abnuo.
Mors nulla Amicis ſæva magis eſt, quàm alterum
Sejungi ab altero. *Al.* Minor non hæc mei

Pars

Pars eſt doloris, hanc ferox auges tuo:
Relinque me fatis. *Lin.* Ego nè profugam ratem,
Tuæque veſtigia procùl in undis fugæ
Spectator oculis hauriam, & lentus morer?
Sperare tantum mitte ſcelus: Ignes priùs
Me contrà Olympi ab arce jaculetur Tonans,
Meoſque Stygius Portitor manes neget
Transferre cymbâ, careat & buſto cinis.
Al. A Rege metue. *Lin.* Spernit ignavos metus
Intrepida Virtus. *Al.* Te Patris moveat ſalus
Caduca, propero quam opprimet letho dolor.
Lin. Magis doleret funeris noſtri Parens
Spectator. *Al.* Aſt ego Rhodo has ſolvam vices?
Rex Hoſpes hæc dona feret? *Lin.* Invitum ſequar
Tuoque lateri injuſſus adjungar comes.
Vis nulla cogere in ſcelus invitum poteſt:
voluiſſe crimen, crimen eſt. *Al.* Qui non vetat
Si poſſe detur, vel tacens culpam probat.
Lin. Solis faciliùs crede flagrantes equos
Cobibere curſu, aùt flumen altis cum ruit
E rupibus præceps, trahitque humiles caſas,
Gregeſque, vaſtoque impetu avulſum nemus,
Quàm quòd ego cogar ferre violentas moras.
Al. Cauſa alia quamvis deſit, ad crimen foret
Mihi ſatis, hærens quod tuo lateri minùs
Patri timerem, *Lin.* Quìn erit tutus magis
Si cautus utrique meus invigilet timor.
Sed vana loquimur; genubus advolvor tuis;
Hæ meliùs orent lacrymæ. *Al.* Madidas genas,
Reflecte; itanè ſævire me contrà doces
Pietatis arma? Vincor hìc tecùm comes
Perpetuus adero; nève me fati rigor
Abire cogat enſe.... *Lin.* Quis te agitat furor?

Abſiſte ferro. *Al.* Nil agis: Votum eſt mori.
Lin. Abſiſte, retrò verſa mens cedit, tuis
Jàm nunc parata nutibus: forsàn dolor
Supremo in amplexu, ultimum & poſtquàm vale
Dixerim abeunti, in litore, & Navim propè
Me perimet. *Al.* Hic valere me potiùs jube.
Lin. Ingrate, id etiàm noſtro amori tu negas!
Et potes? *Al.* Eunti quot moras interſeris,
Tot vulnera patior, ſed hæc tacitus feram
Quod ferre nolo, eſt protrahi pœnas tibi;
At fruere ſors, dùm crimini occurro, pudet
Quicquam timere. *Li.*--Noſtra jàm Nautæ manent
Imperia -- Succeſſum innocuus habeat dolus.

SCENA TERTIA.

Cercaphus, Dux Militum Rhodiorum.

Triſte defertur Nuntium Cercapho inopinæ aggreſſionis.

Cer. Iludis animo, vana ſpes; non avehet
Quæ vexit hùc Fata Hoſpes; æthereas vias
Nèc ſæva relegent Aſtra; jàm Lindi dolor
Frenumque renuens ira proludunt malis.
Adibo curas ut graves dictis levem
Diſceſſuro Dux occurrit.
Pavida quis ora triſtis obnubit ſtupor?
Dux R. Dùm nox amica fraudibus Pelago incubat;
Armis, Viriſque fœta, tacito remige
Infeſta noſtro litori Claſſis ſubit
Latura nobis bella; Sèd preſtò frequens
Admonitus adfuit vigile miles, coit
Pha-

Phalanx utrinque, conſcia hos Virtus rapit
In arma, abire non patitur illos pudor.
Cer. Qui ſunt? Vel unde? Noſtra quis movit furor
Tentare Regna? Fare, quo nùnc res loco?
Dux R. Nèc Signa nota, nèc iter; hoc unum liquet
Rhodo intuliſſe bella furtivâ rate
Auſos viam vi rumpere; àt Superi benè,
Et amica nobis Fata; quòd noſtra impetu
Interrita globos Hoſtium irrupit Cohors,
Arcere primo certa ſubeuntes gradu:
Virtus dolo concurrit, & franget dolum.
Cer. Fida ità nè Vigilum lumina impediit ſopor,
Nè vela tacitæ viderint Claſſis procùl?
Dux R. Scopulis doloſis tecta dùm fulget dies
Nocturna ſulcavit Thetin. Quid non queant
Commiſſa nocti fraus, & inopinus dolus.
Cer. Propiora ſunt quàm credimus Sortis mala,
Vigilemque Regum ſæpè prævertunt metum;
Sèd quid moror. Vèl deſides ſtimulat rubor
Antè ora Regis; impiger in Hoſtes feror.

Digitized by Google

SCENA QUARTA.

Althemenes , Lindus .

Viſá Aggreſſorum hoſtili incurſione , Ambo diſtricto gladio , pugnam ingrediuntur , in quá Lindus à Catreo lethalitèr vulneratur , & Catreus ab Althemene . Suboſcurus aer , & mutata Cretenſium Inſignia, Rhodiis Defenſoribus ignotum reddunt quibus cum hoſtibus congrediantur .

Lin. QUIS hic tumultus ? Mutuam in ſtragem ruunt
Noſtrique , & hoſtes . *Al.* Tutus irrumpam Agmina
Cum laude moriar . *Lin.* Contegam Socii latus .

Lindus , accepto à Catreo lethali vulnere, ſuorum ope è loco certaminis in Regiam transfertur .

Al. Haùd votum erat ſic dividi : Vos promptam opem
Afferte ſævo vulneri ; ulciſci meum eſt .

Catreum ab ultrici Althemenis dexterà vulneratum , Cretenſes in navim aſportant .

Al. I nùnc , & alienum aggredere Regnum dolis
Nocturne Miles ; non diù innocuo manum
Cruore madidam præferes ; pigeat datum
Meminiſſe vulnus , nupèr accepti memor
Nè ſis . At o fidiſſimum pectus , quid heù
Sperare liceat ; Vivis ? An letho jaces ?
Ah forsàn umbras quereris inter , quòd tibi
Impendere animam hanc demorer ; Spatium breve
Sejunget ambos , nè metue .

SCE-

Digitized by Google

SCENA QUINTA.

Althemenes, Dux Militum Rhodiorum.

Mortem Lindi vix è loco Certaminis egreſſi, Dux nunciat Althemeni, cui ſimùl exponit juſſum Cercaphi ipſum in Aulam Regiam revocantis.

Dux R. IN Aulam redi
Rex imperat, ſpes omnis excíſa eſt, nihil
Supereſt timendum. *Al.* O vulnus, o nunquàm metus.
Triſti carens eventu; àn extremum diem
Clauſit Sodalis? Ut malum hoc credam ſat eſt
Timuiſſe. *Dux R.* Triſte nuncium ſævæ necis
Lacrymis in hiſce, pallido in vultu lege.
Al. Sinè me ergò mortem Linde ſubjiſti? Oh Dii!
Dux R. Deſtituit animus membra, torpenti gelu
Senſum doloris tardus illaqueat ſtupor.
Revoca ſuetas pectoris vires; tuæ
Nè perde laudis decora; Virtutem nihil
Se poſſe contrà, exhauriat pharetram licet
Vincendo Fatum diſcat, impavidum & videns
Quem premere ſe toto furens quærit, ſuos
Metuat triumphos. *Al.* Lindus ubi? Quæ illum capit
Tàm læta Regio, ut immemor noſtri plagas
Non volitet has circùm; mihique adſit levis
Umbra. *Dux R.* Reditum Incolis ſtygius amnis negat,
Alth. Subire quæram; præſtat Alrhemeni ſemèl
Periiſſe. Tuque ſivè felices Choros
Jàm nùnc frequentas, ſivè letheo in lacu
So-

Sopire placidis fluctibus curas cupis
Ne ſperne, litora hæc, meique oblivia
Potare renue. *Dux R.* Frigidas undas priùs
Dabit ignis, igneſque unda, quàm memorem tui
Deponat Animum. *Al.* Mortis effare ordinem
Expone voces ultimas; oh ſi intimos
Fas eſſet affectus. *Dux R.* Patri hùc celeres gradus
Properanti in arma, ſe obtulit clypeo jacens,
Dorſoque Lindus Militum fultus, genas
Propinqua mors corruperat, crebrò halitus
Trahebat æger, ſanguis undabat ſinus.
Sinè mente ſubſtitit Parens, tacuit dolor;
Vixque ſibi redditus, ſtatim in Prolem ruit,
Iteratque Genitor oſcula, & vulnus gravat
Amplexibus, quos inter has voces dedit
Natus ſupremas: Morior: At remanet meæ
Pars melior animæ fidus Althemenes, ſit hic
Hæres paterni Amoris, hic Sceptrum ferat
Cretæ Rhodique, & oh ... Sed inceptos ſonos
Mors atra rupit. Rex tuos reditus jubet
Morientis ut vota expleat Prolis. *Al.* Breve
Spatium dolori trade, te poſthàc ſequar.
Dux R. Quæ puppis hùc viam ſibi remis facit
Luctante pelago, Remige & multo, Thetim
Fatigat averſam? *Al.* Cave inopinos dolos.
Dux R. Adeſte Milites. *Al.* Opem elatis petunt
Ad aſtra palmis. *Dux R.* Cinctus effuſas comas
Pacali olivâ, litori admotâ rate
Caducifer jam deſilit, locum habent preces
Vèl inter arma, tunc magis Pietas nitet,
Cùm ſtimulat odia Mars; nèc illâ uti niſi
Heros poteſt. *Al.* Ah Linde, noſtro non vacat
Dolori agere cineribus inferias tuis.

SCE-

SCENA SEXTA.

Althemenes, Dux M. Cretenſium, Dux M. Rhodiorum.

Catreus per ſuum Nuncium petit ab Althemene ut ſibi lethalitèr vulnerato liceat in litus è navi deſcendere; quod ut obtineat, oblato Victori ſuo enſe, Captivi conditionem ſpontè ſubit; Althemenes gladium paternum, & ex illo ſe Genitorem ſuum vulneraſſe agnoſcit.

Dux Cr. QUÆ vincit hoſtes, ferre ſubjectis opem
Virtus ſolet. Belli Arbiter, qui nos regit
Imperio & omnis cui ſubigit haſtas Phalanx,
Gemens atroci vulnere, ac ferre impotens
Undoſum iter; nève abſit extincto quies,
Tumuliſque ſplendor, poſcit in portu diem
Supremum obire poſſe; Nèc leges negat
Subiiſſe capti: Vincla quis metuat, ſtatìm
Quæ frangat animus Sydus in patrium redux.
En porrigit tibi gladium noſtrâ manu
Victi ſuperbas Victor exuvias cape:
Nàm dextra, ſævum quæ dedit vulnus, tua eſt
Rotare viſa hæc fulminis rapidas faces,
Bellator è pugnâ comes poſtquàm ſuo
Madens cruore, ſaucius noſtri Ducis
Receſſit enſe: *Al.* Amoris àh noſtri ferox
Prædator, atrox regiæ everſor Domus
Furtive Dux, vitalem adhùc auram bibis,
Et luce frueris? Efferas intèr tigres,

Ho-

Hoſpitia quærat. Ait mihi venas latens
Percurrit horror; odia, Naturæ tepent
Repreſſa teneris motibus; chare o cinis
Fidelis Umbra deerat hoc unum, tuum
Odiſſe ut hoſtem neſciam; quìn, heù pudet,
Qui ſerpit affectus recens noſtro in ſinu
Poteſt amor videri. *Dux C.* In oppreſſos furit
Hircana rabies. *Dux R.* Sequere quod tacitè monet
Injecta Superis mens. *Al.* Sequar, vòx quæ jubet
Interior, invitum trahit. Detur frui
Tellure miſero, munus agnoſcat meum
Spatium ſepulchri. *Dux C.* Spero tibi fauſtos fore
Pro munere hoc Deos. *Dux R.* Tibi majus decus
Affert ſui victor animus, quàm ſub jugum
Redigere populos. *Al.* Cui sèd hoc munus dedi?
Motus tot intèr concitos, menti excidit
Rogare: Perge; nomen & Patriam refer;
Quìn redde lateri gladium. At ò Superi; horreo,
Quæ video monſtra! Patris hic: Capulo nitent
Eburna ſigna, ſtegmata, & noſtræ Domus;
Qui nupèr oculos ſubjit, èn rursùs ſubit.

SCE-

Digitized by Google

SCENA SEPTIMA.

Catreus, *Althemenes*, *Dux M. Cret.*, *Dux M. Rhod.*

Agnoſcit Althemenes ſuum Genitorem vulneratum, & morti proximum.

Cat. PRæſtat mori, dùm grande Solamen necis
Ab Hoſte morior. *Al.* Ferte vigiles hùc faces;
Maligna videant aſtra quæſitum ſcelus:
Detrahite galeam fronte, liberiùs frui
Ut poſſit aurâ; Vigilo nè àn hærens pectori
Imago ſceleris ſaucium retulit Patrem?
Ten' video Genitor? *Cat.* Nate ten' video? *Al.* heù dolor
Nato Patrem ſic objicis? *Cat.* Sic te Patri!
Al. Ah parce: Gladium cæca vibravit manus.
Cat. Tibi decori, hoſtis vulnus eſt; Fati nefas
Vulnus Parentis. *Al.* Sanguine hanc labem eluam.
Cat. Ut moriar in te rursùs: At nutat mihi
Incerta mens. *Dux Cr.* Quid trahimus ignavas moras,
Nèc vulneri medemur? *Al.* Auferte hinc Patrem,
Et ſi quid arte liceat, incolumem date.
O ſæva nobis Numina, o mæſtum diem,
Inimica Regnis Fata, perfectum eſt ſcelus,
Cruenta clades non dùm. Ego ultrici manu
Explebo diram Sortis iratæ ſitim.

Finis Actus Quarti.

ACTUS QUINTUS
SCENA PRIMA.
Althemenes.

Poſt mortem ſui Genitoris mori ſtatuit.

DEhiſce tellus, meque in obſcuro ſinu
Dirumque crimen contege, inviſum diem
Teſtemq; magni ſceleris averſor; Tonans
Jaculare flammas; Spontè tela in me ruant
Parcente dextrâ: hùc monſtra quot Nilus videt,
Hùc tota pròperet Lybia; ſceleratum Tigris
Lambat cruorem, & ſævior repetat nemus.
Quæ vis ruenti fulmini inducit moras?
Quis cohibet hircanas feras? Vos o juga,
Rupeſque, pelagique ſcopuli, & fluctus maris
Tumulate monſtrum hoc Juris exitium Sacri.
Nèc dùm audior! Sors parcit ut noceat magis:
Sævire cogam, mortis inveniam viam,
Renuente fato; pectore è noſtro exigat
Idem enſis animam, quique me Lindo abſtulit,
Junxiſſe ſerus properet: oh utinàm meum
Priùs bibiſſet ſanguinem, quantum mali
Mecum periſſet. Nùnc bibat ſaltem; Patris
Eſt quidquid in nobis ſuper, lethum premat,
Suumque Nati dextra perficiat ſcelus.
Parentis Umbra, voſque dilecti precor
Manes Amici adeſte, quos prævertere
Decebat olìm liceat extinctos ſequi. SCE-

SCENA SECUNDA.

Althemenes, Nuntius, Dux M. Cretenſium.

Morituro Althemeni, Dux & Nuntius occurrunt, ut ipſi reditum ſuadeant.

Nun. SOlatia feram nè tibi dolor impedit.....
Alth. Faceſſe Amici Carnifex, buſtum Patris
Scelerate fraudis Artifex; Regno Parens
Te nempè miſit cretico, o fallax caput,
Quod plectere ſatìs nequeat, effundat licet
Sua monſtra Avernus, tota licet atræ Stygis
Volvatur Urna. *Nun.* Regis imperio obſequi
Si crimen eſt, in me Erebus effuſus ruat,
Volvatur omnis pœna, mihi graviùs foret
Caruiſſe culpâ. Tu interìm vultum indue
Sortis propinquæ, jàm Rhodum lentâ rate
Secuta Claſſem, contigit Virgo tuis
Addicta thalamis, me Duce undarum minas
Scopuloſque ſprevit, illìus gemitu Parens
Impulſus inſtruxit dolum, & blandâ prece
Hùc me rogatum miſit, infauſtis erat,
Quod rapere mens armis; niſi Regem hoſpitem
Paterna vota flecterent. Ergò obvius
Progredere, & altum conde mentitis genis
Vulnus doloris. *Al.* Neſcit immenſus dolor
Latuiſſe; Superis fugiat inviſos lares,
Meaſque lacrymas Sponſa. *Dux C.* Te Claſſis manet,
Avita repete Sceptra, da Regem tuis.
Alth. Quæ jura tradam primus ad Regnum gradus
Cuì patria cædes? Si quis in me vos amor
Si qua monet urgens Cura, Sylvarum nigras
Me ſinite latebras inter, admiſſum nefas

Animumque ſceleris conſcium, & ſacrum caput
Occulere: Nemorum ſed quid abſtruſos ſinus
Et luſtra quæro; vèl ibi monſtrorum frequens
Noſtras pudere coget occurſus genas,
Nàm nulla Tigres lacerat affines Tigris,
Suoque generi iraſcitur. Magnum ſcelus,
Ubìque ſibi pœna eſt. *Nun.* Dolorem tempera,
Cretæque Regem trade; te mæſtæ Nurus
Lacrymiſque Pueri, crinibus ſparſis petunt
Te Virgines; Matreſque timidæ, te Duces
Stratiſque Signis Milites: Centum hùc ſua
Jàm vota Populi dirigunt. *Dux C.* Cretam feres
Patriam Deorum, conſciam parvi Jovis
Traxiſſe pavidà fronte peregrinum jugum?
Altb. Deſinite, ſpatio temporis poſtquàm brevi
Receperit animus ſe ſe, & alto vulneri
Lenimen aliquod parva præbuerit quies,
Redibo, veſtris annuam ut votis -- Juvat
Conſilia vultu tegere -- Sèd nemo audeat
Turbare poſcit quam ſibi vulnus moram.

SCENA TERTIA.

Nuntius, Dux Mil. Cretenſium.

Althemenis objurgationes queritur Nuntius, cujus animum Socius demulcet.

Nun. Sicciné ego Cretæ proditor, fraudum Artifex!
Imperia noſti Regis, & juſſos dolos.
Dux Cr. Si primus author artis innocuæ fores
Quid labis indè? Mitte maleſanos metus:
Meliora læto ſæpè ſucceſſu carent
Conſilia, mentis providam nèc vim exitus
Me-

Metitur. Ut ſe reddet Althemenes ſibi
Primique motus didicerint frenum pati
Damnabit iras. *Nun.* Pectore immoto feram
Quæcumque ſortis tela; Si Regi fidem
Servaſſe ſcelus eſt capite puniendum, juvat
Servaſſe vèl ſic: Criminis pœnas leve eſt
Subire, mihi ſi crimini Virtus datur.

SCENA QUARTA.

Nuntius, Dux Mil. Cretenſium, Ephœbus.

Dolentis Regis furibundos motus Regius Ephæbus narrat..

Eph. QUIS noctis hujus referat infandas neces,
Aulæque gemitus; Regiæ luctu fores
Reboant, inertes excutit ſomnos metus.
Rex ipſe furiarum impotens, impos ſui
Hùc fert, & illùc concitos Aulâ gradus
Gemit, furitque. Prima vox natum ſonat,
Voceſque reliquas tacitus abſorbet dolor.
Nun. Æqua eſt dolendi cauſa; Nox una abſtulit
Sobolem paterno amori, & invictum decus
Claræ Rhodo; Utrumque efferum Regi, & Patri.
Dux C. Ærumna Catrei levior. *Eph.* Illum non ſemel
Rex ipſe felicem vocat. *Dux C.* Subiit necem
Antè ora Prolis, juſſa cui moriens dedit
Suprema, cùmque traderet flenti graves
Imperii habenas; Poſteris Virtutum, ait,
Exempla præbe. Oh tibi parem Superi annuant
Seriem Nepotum. *Nun.* Rex erit celſis Avis
Præſtantior, quique ſciet armorum metu
Arcere vèl vota hoſtium, & leges ſuis
Firmare placidis moribus; Sontes ſciet....

SCENA QUINTA.

Dux M. Cretenſium, Nuntius, Dux M. Rhodiorum, Ephæbus.

Mortem Althemenis, qui ſeipſum paterno gladio interſecerat, Dux Rhodiorum nunciat.

Dux R. HEU dira cædes; Sortis averſæ heù furor!
Funus novum funeribus accedens novo
Dolore Fatis perditam inceſtat domum.
Dux C. Expone tantis additam cladem malis.
Nun. Timor haurit animum, audire quod doleam piget.
Dux R. Cùm multa reputans, nupèr Althemenis propè
Conclave graderer, perculit gemitus frequens
Gradientis aures; Subeo: Fatali incubat
Princeps mucroni, pondere in pronum ruens,
Quem pectori altè merſerat, fluitat cruor
Per vulnus ingens; lumina ſupremâ natant
In luce, jàmque muneri deſunt ſuo.
Accurro trepidâ, ut allevem pronum manu,
Tenui ille repetit voce; deìn letho ſilet:
Sìc te Parens; Sìc Linde te moriens ſequor.
Dux C. O' miſera Regum fata! Quis patrios Lares
Viduaſque noſtris Regibus repetat plagas?
Nun. Feralis enſis, ſæva Regnorum lues
Cum te per undas ſortis ignarus tuli,
Merſiſſe pelago decuit, & memet ſimul
Tantæ Miniſtrum cladis, in præceps dare.

SCENA SEXTA.

Cercaphus, Nuntius, Dux Militum Cretenſium, Dux Militum Rhodiorum.

Cretenſes Proceres Cercaphus humaniter dimittit.

Cer. ACTUM eſt. Procella nube funereâ Rhodum
Cretamque merſit. Vatis ò præſagia
Comperta nimis, ò regium everſum genus.
Vos ite memores noctis infandæ: Statìm
Eligite, veſtros qui levi Populos jugo
Similique frenet. Promptam ego oppeterem necem,
Natumque ſequerer. At vetat Regni ſalus:
Nos procreat Natura commune in bonum,
Sibique tantùm vivere ferarum eſt. Brevi
Tamèn ſuperero; vulnere occulto dolor
Supplebit enſem. *Dux C.* Dira nox numquàm excidet.
Nun. Gladius nèc umquàm cæde regali madens.
Dux R. En adſtat Augur, metuo.

Digitized by Google

SCENA ULTIMA.

Augur, Cercaphus, Nuntius, Dux M. Cretenſium, Dux M. Rhodiorum.

Nexus utriuſque Oraculi evolvit Augur.

Aug. SAT Fatis datum
Cohibete pallentem metum; Oedipodem refert
Imbuta cæde patria Nati manus.
Natoque geminâ gladius abripuit nece
Vitam paternus; funeri Althemenem dedit,
Nàm primò, inerme Lindi ut effodit latus.
In Amico Amicus vivit, in Amico jacet.
Rursùſque acerbo funeri Althemenem dedit,
Dùm fodit ille dexterâ ſemet ſuâ
Hoc uſus enſe. Regibus geminas plagas
Sic mucro viduat unus. At tu ingens Rhodi
Tutela; verſique unicum Regni decus
Animum malis nè frange. Fortunæ vices
Aude ire contrà; forsàn hæc olìm juvet
Tuliſſe: Dura profuit multis pati.
Dux C. Tellus vale cruenta. *Nun.* Furiarum locus.
Dux R. Valete Socii. *Cer.* Mollior veſtras rates
Impellat aura. Claſſis hìnc, quot quot tulit
Referret utinàm; fugite fatalem Rhodum
Inanis Umbra Regis, ubi moriar diù.

FINIS.

197

NOMINA
SCOLASTICORUM
COLLEGII ROMANI,

Qui in Rhetoricâ, in Humanioribus Literis, & in Grammaticâ præſtiterunt cæteris, & publico ſunt premio donati.

EX CLASSE
RHETORICÆ

In ſolutâ Numeris Oratione.

Jo. Baptiſta Gentili Seminarii Romani Convictor.
Gaſpar Bonanni Seminarii Romani Alumnus.
Jo. Antonius de Annibale, Collegii Pamphilii Alumn.

In vinctâ Numeris Oratione.

Jo. Baptiſta Gentili, Sem. Rom. Convictor.
Carolus Santini.
Hyppolitus Turconi, Sem. Rom. Convictor.

GRÆ-

Digitized by Google

IN LINGUA GRÆCA.

EX PRIMO ORDINE.

In ſolutâ Numeris Oratione.

Martius Palocci, Seminarii Romani Alumnus.

EX SECUNDO ORDINE.

Jo: Antonius de Annibale, Collegii Pamphilii Alumn.

In vinctâ Numeris Oratione.

Martius Palocci, Sem. Rom. Alumnus.

EX CLASSE HUMANITATIS.

In ſolutâ Numeris Oratione.

Jo: Baptiſta Lieni.
Carolus Ferretti.
Hyacinthus Cianti.

In vinctâ Numeris Oratione.

Petrus Bettini.
Vincentius Mazzaroſa.
Paulus Felici.

EX

Digitized by Google

 193

EX PRIMA CLASSE

GRAMMATICÆ.

In ſolutâ Numeris Oratione.

Petrus Paulus Ferrini.
Antonius Somai.
Gaſpar Baſuecchi.

In vinctâ Numeris Oratione.

Ludovicus Serbaroli.
Gaſpar Baſuecchi.
Petrus Paulus Ferrini.

EX SECUNDA CLASSE

GRAMMATICÆ.

Franciſcus Philippus Viviani.
Jacobus Biglioni.
Antonius Zanchi.
Odoriſius Sangro, Sem. Rom. Convictor.

EX TERTIA CLASSE

GRAMMATICÆ.

Innocentius Saſſetti.
Stephanus Caſtellacci.
Leonardus Giordani.
Michael Angelus Lucani.

EPHÆ-

Digitized by Google

EPHÆBI.

Petrus Gratiani.
Franciſcus Xaverius Leonori.
Joannes Pereira.
Paulus Benedetti.
Petrus Pioli.
Joſeph Salvatorj.
Hieronymus Pioli.
Joſeph Giordani.

SACRIFICULI.

Nicolaus Montàni.
Jacobus Terribilini.
Franciſcus Brancaleoni.

MILITES.

Felix Coſtantini.
Loſeph Lupi.
Joannes Baptiſta Durini.
Franciſcus Colmenghi.
Bernardinus Morè.
Hieronymus Menghini.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE